

23rd Sunday after Pentecost Matt 9. 18-26

*IN illo tempore: Loquénte Iesu ad turbas, ecce
princeps unus accéssit, et adorábat eum, dicens:*

Dómine, filia mea modo defúncta est: sed veni,

impóne manum tuam super eam, et vivet.

Et surgens Jesus sequebátur eum, et discípuli ejus.

Et ecce muller, quæ sanguinis fluxum patiebátur

duódecim annis, accéssit retro, et tétigit fimbriam

vestiménti ejus. Dicébat enim intra se: Si tetígero

tantum vestiméntum ejus, salva ero. At Jesus

convérsus et videns eam, dixit: *Confide, filia, fides
tua te salvam fecit. Et salva facta est muller ex
illa hora.*

*Et cum venisset Jesus in domum principis, et
vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicébat:
Recédite: non est enim mórtua puélla, sed dormit.
Et deridébant eum. Et cum ejécta esset turba,
intrávit et ténuit manum ejus. Et surrexit puélla.
Et éxiit fama hæc in univérsam terram illam.*